



# Disputatio medica inauguralis de momentis temporum periculosis

<https://hdl.handle.net/1874/345232>

30.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
MOMENTIS TEMPO-  
RUM PERICULOSIS,  
*QUAM*,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
D. JOHANNIS LEUSDEN,


Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &  
Privilegiis, rite & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit  
DIETERICUS CHRISTIANI, CELLA LUNEB.  
Ad diem VIII. SEPTEMBRIS, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc xciii.

DISTRIBUTIO MEDICA  
MOMENTIS TEMPO.  
RUM PERICULOSA.

SYNTHETICUS ET MAXIMA  
INVENTIONE D

INVENTORIUS ET INVENTORIUS



D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E

# M O M E N T I S   T E M P O R U M P E R I C U L O S I S.

T H E S I S I.

**P**RUDENTISSIMUM pariter ac utilissimum omni ævo fuit dogma in negotiis agendis temporum oportunitates esse sequendas, ac in occasione rerum tarditatem omnem diligentissime fugiendam: Sunt enim momenta temporum pretiosa, quæ semel elapsa revocari nunquam possunt. Etenim quantum in communi vita intersit, τὸ καιρὸν nosse norunt omnes qui in amplissimo hoc mundi theatro vel parum sunt progressi: multoties enim inter incertas mentis fluctuationes & intempestivas procrastinationes præterlabitur rerum agendarum occasio irreparabilis; ut propterea haud insulse, & qualibet fere re peculiare sibi fingentes idolum, Poëtæ,

Occasionis Deam fronte capillatam , postica vero parte calvam finixerint , cuius capillatam frontem nisi arripueris nunquam calvum synciput prehendes.

## II.

Nec in communi vita solum sed & morbis machinam nostri corporis afflgentibus temporis accuratam observationem longe esse necessariam fatebuntur mecum omnes qui vel a limine Medicinam salutarunt. Si enim unquam tempus sub manibus , ut ajunt , elabitur , id hic certe fit & plures ob hoc vel neglectum vel vilipendum qui restitui potuissent mortis fiunt præda. Fluida enim sunt a quibus corpus nostrum vigorem accipit , fluida etiam ut plurimum sunt a quibus suos patitur morbos , quæ in horas , ne dicam quid amplius , mutantur : imprimis ubi semel a peregrino æthere moveri incipiunt , adeo ut post pauca interdum momenta , ita a priori statu abludant , ut nihil pristinos sapiant lares. Quæ res tantæ Hippocrati visa fuit dignitatis ut statim in frontispicio Aphorismorum occasionem momentaneam esse monuerit: imo alibi dilationem vitæ periculum esse , scribere non dubitaverit. Certum equidem est si illi peccant qui immature Medicinam faciunt non minus peccabunt illi qui Medicinam intempestive omitunt : ut proinde Occasio Curationis anima jure meritoque vocetur : quam si prætermiseris aut ægrum præsentissimo vitæ expones periculo , aut saltem curationem Tuam nec cito nec tuto nec jucunde perficies. Cito autem curamus quando bene observamus omnes occasions Medendi , inquit Walæus *Institut. Medicinal.* p. m. 86.

A

III. No-

## III.

Nolo hic Criticorum Scrinia percurrere , ut vocabulum occasionis explicem , nec qua mente Hippocrates illo fuerit usus curiosius explicare , sed per occasionem intelligo omne illud tempus quo Medicus arti suæ factisfacturus rite pensitatis omnibus circumstantiis a mutationibus quæ in morbi incremento , statu , ac augmentatione accidentunt , manu quasi ducitur , hoc præsertim remedii genere non alio , morbo obviam eundum esse ut finem suum qui Mederi est assequatur tanto melius .

## IV.

Curationis animam voco Occasionem , curare autem non solemus nisi ægrotos , sani enim opem Medici implorare vel nunquam vel rarissime solent . Animus autem non est : nec pagellarum & temporis ferunt angustia longius evagari & in quo statu sanitas consistat , quidque morbus sit , altius repetere ; cum hæc cui Oeconomia animalis cognita est atque perspecta , ignota esse nequeant . Id tantum paucis demonstrare conabor Occasionem in morbis omne ferre punctum ; atque proinde in morbis tantum non omnibus , cunctationem remediorumque indicatorum dilatam exhibitionem vel applicationem haud parum esse periculosam vel saltem valetudinis in integrum restitutionem differre , & ut cum Celso loquar , malum quod per se exiguum est , maius curantis negligentia fieri .

## V.

Cum morborum , qui dictam modo Corporis œconomiam

miam turbant & à statu naturali dejiciunt: alii citius increscant & ad salutem vel interitum uno & continuato quasi impetu ruant, alii lenti gradibus incedant & per varios quasi cuniculos machinæ nostræ corporeæ infidias struant donec tandem vel vi Medicamentorum superati profligentur: vel omnem eorum vim eludentes, lento trahite misere afflictos ægros ad sepulcrum comitantur; nata vulgatissima Medicorum in scholis, in acutos & chronicos morbos divisio.

## V I.

Acutis morbis cum subito tempora percurrent statim Medicamentis necessariis obviam eundum esse; cum ratio tum experientia suadet; satius est surculum nascentem in herba supprimere quam tum demum ubi in proceram arborem excrevit velle eradicare. Facilius est sanguini mixturam suam restituere cum primum turbari incipit, quam cum turbata jam est; haud aliter ac alii liquores facilius corriguntur cum accessere incipiunt, quam quando jam sunt corrupti & à statu priori quam longissime recessere. Vena, quam ineunte morbo tuto & magno cum ægri levamine secare licet; ubi paulo latius serpsit malum, non solum non sine præsenti vitæ periculo inciditur: verum etiam fanguis, qui ob immunitam quantitatem, sedatumque ex eo ejus impetum, facili negotio, nunc copia & motu, intestinaque fermentatione peccans, tanto regitur difficilius majorique cum difficultate symptomata inde enata mitigantur, quanto mixtura est turbator majorque impetus, imo haud raro æger tantis cogetur turbis succumbere. Quantæ in cerebri ejusque Menningum inflammatione, quam Phrenitidem vocamus, Venæfæctio sit utilitatis, praxis Medica abunde testatur, quolibet tempore quavis diei hora

hora eam instituendam esse apud Auctores præcipi vide-  
mus, quæ si intempestive omittatur quanta non emer-  
gent incommoda: præsertim ubi in vigore morbi super-  
venientium symptomatum atrocitas, vel diversitas alia-  
rum circumstantiarum, sanguinis prohibent missionem.  
Pleuritis, quæ febrium acutarum modo symptoma mo-  
do causa est, præsertim illa quæ cum magna inflammatione & Plethora conjuncta; sola sæpe Venæsectione cu-  
ratur, eamque adeo necessariam autumat *Laz. Riverius*  
*Lib. vii. Prax. Med. cap. 2.* ut nunquam omittendam  
censeat, neque in gravidis ac puerperis. Ubi tamen  
in statu morbus est constitutus, eam tuto aperire non  
licet.

## V I I.

Nec solum in Venæsectione hæc obtinent sed in reli-  
quis quoque remediis ex Pharmacia petitis: Hominem  
qui gulæ deditus genio suo indulxit; multisque crudita-  
tibus Stomachum gravavit, si febre corripiatur et si con-  
tinua & acuta, unico vomitorio sub initium morbi exhibi-  
to & citius & jucundius curabis quam longo Alexiphar-  
macorum apparatu; Turgentia educenda Hippocrates  
*Aphor. io. Sect. iv.* monet, dicens, Purgandum est qui-  
dem in peracutis morbis si humor sit efferus eodem ipso  
die; cunctari enim in ejusmodi morbis calamitosum: &  
Celsus illum ritè curaturum scribit quem prima origo  
causæ non fecellerit: purgantibus, eti vomitorii certo  
modo mitius operentur: circumspectius tamen uterer:  
magis enim Massam sanguineam turbant cuius restitu-  
tioni incumbendum: ubi tamen leni epicrafi faburra è  
ventriculo primisque viis sublata est: Tollitur non  
solum materia quæ novis in sanguine cumulandis fer-  
viebat particulis peregrinis: sed hoc quoque emolumen-  
tum

8 DISPUTATIO MEDICA

tum inde enascitur, ut Medicamenta integris plus viribus ad sanguinem veniant; sicque tutius non solum sed & citius imo jucundius curabis. Cave tamen ubi illud momentum quo vel vomitum vel purgans necessarium judicabas prætermiseris, neque ubi vel parum increverit morbus illa exhibeas si & ægrorum saluti & famæ tuæ consulere cupis. Solo sœpe diaphoretico valido incipientes febres etiam gravissimæ ut & inflammations satis validæ discutiuntur & profligantur. Incipientem Pleuritidem per diaphoretica, imo ipsa diaphoretica opia, multoties discussam novi, & discuti posse cum ratio tum experientia docent; quæ tamen in statu morbi jugulant potius quam juvant.

VIII.

Quæ de continuis & acutis dixi ipsis etiam applicari possunt malignis utpote gradu solum à prioribus distantibus: modo cautius hic mercari discas. Summa enim circumspectione opus est, ne subeamus speciem ejus ut occisi: quem fors ipsius peremit, atque quo major morbi est malignitas eo major debet esse circumspectio, cum enim hic omnia progressionis sint admodum subitaneæ, minima certe mora suspecta esse debet & quod hoc momento tuto movere licet minima interposita mora ne attingere quidem se patitur. Hincque potissimum provenire crediderim, quod Venæfectio tam vario administretur eventus, ut quandoque non sine magno ægrorum levamine, quandoque non sine insequente certo ejusdem interitu administretur: inde porro enatum inter Auctores practicos dissidium quorum alii contra Venæfectionem militant: alii in favorem ejusdem quasi pro aris & focis dimicant etiam ipsa peste, cujus vel solum nomen horrere solemus.

IX. Ac.

## I X.

Accidit quandoque ut non in integras solum urbes sed vastas longe lateque patentes regiones Tyrannidem suam exerceant morbi, qui propter ea Epidemici vocari solent, quos inter pestem metuere maxime solemus, quam Thesi praecedenti paucis attigi, Clam horum myasma nostrum irrepere solet corpus, & vel subito sanguinem & humores alterando, vel alio quocunque modo corpus afficiendo vires suas exercet, vel pedetentim in illud agit: aut saltem occasionem dat, ut a fermentatione sanguinis alterata, latentes hinc inde in partibus solidis fomites recludantur febribus & semina morbifica in Massam introducant sanguineam. Cum tales morbi grassantur, non tam curationem quam etiam præservationem intense flagitare solent: & sane quælibet etsi minima corporis indispositio justam latentis jam morbi suspicionem debet habere comitem: caue de causa illi statim debitum occurrentium remediis ut in ipso quasi ortu suffocetur; antequam vires acquirat eundo.

## X.

Chronicis morbis quæ modo de acutis monui convenire non videntur; cum tarde admodum incrementa sumant. Verum si rem recta reputemus & in horum curatione omittendo peccari potest: quot non febrium intermittentium fomites imprimis quartanarum, unico eradicant vomitorio? si in ventriculo partibusque vicinis illos latere conjicere licet. Et quanquam errores qui his in morbis omittendo committuntur periculo haud od

## DISPUTATIO MEDICA

adeo magno sint juncti, Medicus id tamen non agit quod sui est officii, & quis quæso ignorat febres intermitentes, hydroperas, & quotquot sunt morborum chronicorum, dum inconsulto naturæ committuntur, quam sæpiissime quo diutius durant eo reddi pertinaciores & ex parva scintilla contenta magnum oriri incendium. Imprimis in Lue Venerea, quæ parvis admodum primordiis orta, quantas corpori non infert labes, cum ne ossa quidem intacta relinquat, hæc valent, adeo ut hic certe si in chronicis unquam, verum sit.

*Principiis obſta ſero Medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras.*

## X I.

Soporosi affectus omnium maximè metum incutere solent, cum sensus magis afficiant quam reliqui morbi fere omnes, in his sane protinus ad curam se accingat Medicus oportet, ne ex morboſo in lethalem ægri præcipitentur soporem. Imprimis manifesta haec ſunt in Apoplexia, quæ cum præceps morbus ſit, ſubita omnino eaque efficacia flagitat remedia, in arena hic eſt capiendum conſilium, præſertim ubi de Venæflectione anxiè deliberatur, hinc quoque eſſe quod in Apoplexia Venæflectionem tantopere modo obesse modo prodeſſe videamus, crediderim: Cum in tempore adhibitam Venæflectionem, cæteris tamen paribus, nunquam nocere, quin potius inſigniter juvare perſuafum habeam.

## X I I.

Symptomatum atrocitatem Medicum quandoque ad ſe vocare ut non tam relichto quam neglecto tantisper morbo

bo, cum illis colluctetur, in Medicina notissimum, quod ex illorum vehementia vel vitae periculum immineat, vel saltem curatio turbetur; ut Medicus sumpnum suum assequi non possit, qualia symptomata plura dari possunt. Exempli loco dolores esse possunt quantas hi non in œconomia animalis causantur turbas; ex magnis doloribus si febris oriri potest, illam certe jam tum sœvientem quam maxime augebunt: vigilias, deliria, lypothymias, &c id genus alia, quarum alterum ex altero fluit excitabunt. Ubi igitur dolorum vehementia illud exposcit, quantocuyus iis deliniendis Medicus incumbet, neque num per idiopathiam excitentur, nam per sympathiam, ut loquuntur, diu nimis inquiret; attentius illud consideraturus cum per inducias morbi illud licet.

## X I I I.

Sunt casus Chirurgici non pauci in quibus cunctatio periculosa admodum imo lethalis, in hæmorrhagia sanguinis pretiosum Thesaurum profundunte, hæc luce meridiana clariora. Incipientis Gangrenæ progressum attentius considerare, quid aliud quam aut afflictum necare, aut saltem artuum aliquo orbare. Accidit interdum, ut os e suo vel elabatur vel extrudatur acetabulo, quod Luxationem appellant, quod si hujus restitutio nupium differatur, unctuosum humor in ossibus pro nutritione eorum circulantem, atque in acetabulum transudantem, in cavitate acetabuli in cartilagineosam abire duritiem, repositionem & per consequens debitum partis usum impudentem experientia dudum edocuit.

TRAJECTI AD RENNUM,

Ex Officiis Erasmiani, M. A. de Academia  
Typographi, et locutori.

12 DISPUTATIO MEDICA INAUGUR.

X I V.

Plura afferri possent, eaque specialiora magis, nisi  
haec sufficere arbitrarer, nec difficulter reliqua ex his  
deducentur. Eo res omnis redit Medicum peritum  
omni opera cavere debere, ne nec committendo, nec  
omittendo aut saltem in curatione morborum cunctan-  
do, & arti Medicæ & famæ suæ noceat.

F I N I S.

